

5. Præterea, Eucharistia est perfectius sacramentum, quam baptismus, ut supra dictum est (quæst. præced., art. 3). Sed sacramentum Eucharistiæ iteratur. Ergo videtur, quod multo magis baptismus possit iterari.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 4: Una fides, unum baptisma.

Respondeo dicendum, quod baptismus iterari non potest, primo quidem, quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio, prout scilicet aliquis moritur veteri vitæ, et incipit novam vitam agere. Unde dicitur, Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Unius autem non est, nisi una generatio, et ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Unde August. (tract. 11, ante med.) dicit super illud Joan. 3: Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Sic tu, inquit, intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis; quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus. Secundo, quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitæ; Christus autem semel tantum mortuus est, et ideo baptismus iterari non debet; propter quod Hebr. 6, contra quosdam rebaptizari volentes, dicitur: Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, ubi Gloss. (ord. super illud, Renovari rursus ad pœnitentiam) dicit: Una Christi mors, unum baptisma consecravit. Tertio, quia baptismus imprimi characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur; unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est, quod August. dicit in 2 contra Epistolam Parmeniani, cap. 13, a med., quod character militaris non repetitur, et quod non minus hæret sacramentum Christi, quam corporalis hæc nota; cum videamus nec apostatas carere baptisate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur. Quarto, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum, et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur, quia, ut dicitur Rom. 5, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.

Ad 1 ergo dicendum, quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut supra dictum est (art. 2 hujus q.). Et ideo sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi

non auferunt, ita etiam non auferunt baptismum, ut necesse sit ipsum iterari. Sed pœnitentia superveniente, tollitur peccatum, quod impediabat effectum baptismi.

Ad 2, dicendum, quod sicut August. dicit super illud Joan. 1 (tract. 5, declinando ad fin., tom. 9): Sed ego nesciebam eum: Ecce post Joannem baptizatum est, post homicidam non est baptizatum, quia Joannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi, quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

Ad 3, dicendum, quod Pauliniani et Cataphrygæ non baptizabant in nomine Trinitatis. Unde Gregor. dicit (in regist. lib. 9, epist. 61, paulo a prin. Refert. de Consecr., d. 4, c. Hi vero), scribens Quirino Episcopo: Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizabant, sicut sunt Bonosiani et Cataphrygæ (qui scilicet idem sentiebant cum Pauliniani) quia et illi Christum Deum non credunt (existimantes ipsum scilicet esse purum hominem) et isti (scilicet Cataphrygæ) Spiritum Sanctum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum (scilicet credunt): tales cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. Sed sicut in regulis Ecclesiasticis dicitur (de Eccles. dogm., cap. 52, in Aug., et de Cons., d. 4, cap. 43, et cap. 27): Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizabant, et veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur ut baptizati.

Ad 4 ergo dicendum, quod sicut dicit Decret. Alexand. III (in lib. 3, tit. 42, de Bapt. et ejus effectu, c. De quibus, est cap. 2, et de Cons., d. 4, 109, 110, 111 et 112): De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, etc. Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum.

Ad 5, dicendum, quod utrumque sacramentum, scilicet baptismi et Eucharistiæ, est representativum Dominicæ mortis et passionis; aliter tamen et aliter. Nam in baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneretur. Sed in sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi paschale convivium, secundum illud 1 Cor. 5: Pascha nostrum immolatus est Christus, ita-

que epulemur. Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thom. baptismum iterari non posse. Cujus rei quatuor adducit congruentias optimas, easque magis explicat in solutionibus argumentorum, sed omnia sunt clara in littera; locus autem ad Ephes. 4, quem D. Thomas adducit, nonnullam difficultatem habet, quam in sequenti disputatione tractabimus.

DISPUTATIO XXII.

DE UNITATE SACRAMENTI BAPTISMI.

Disputatio hæc pertinere poterat ad aliam supra traditam de institutione, seu existentia baptismi; tamen propter D. Thomam usque ad hunc locum dilata est, et quia facile expediri potest, suppositis his, quæ de essentia baptismi dicta sunt. Duplex ergo unitas de hoc sacramento investigari potest, essentialis scilicet, seu specifica, et numerica, et de utraque breviter dicemus.

SECTIO I.

Utrum baptismi sacramentum sit unum tantum in specie, et quomodo differat a baptismo sanguinis, et flaminis.

1. Ratio dubitandi. — Ratio dubitandi est primo, quia baptismus communiter distingui solet in baptismum aquæ, sanguinis, et flaminis, ut constat ex D. Thoma, in hac quæst., art. 11 et 12; Magistro, et aliis Doctoribus in 4, dist. 4; Alens., 4 part., quæst. 22; Hugo Victor., lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 6 et 7; Waldens., tom. 2 de Sacram., cap. 96 et 97; sed hæc tria baptismata specie differunt, ut per se constat: ergo. Secundo, quia baptismus etiam dividitur in baptismum Joannis, et baptismum Christi; sed hæc baptismata specie differunt, ut in superioribus visum est: ergo. Tertio, quia baptismus etiam dividitur in baptismum per immersionem, et per aspersionem, seu infusionem aquæ; sed hæc etiam baptismata videntur specie differre, quia licet materia remota sit eadem, tamen materia proxima videtur specie diversa; essentia autem sacramenti magis attendenda

est juxta materiam proximam, quam remotam: ergo, etc.

2. Conclusio. — Respondetur, baptismum, qui est unum e sacramentis novæ legis, esse unicum in essentia et specie ultima. Conclusio est communis Theologorum, et certa ex illo Pauli ad Ephes. 4: Unus Dominus, una fides, unum baptisma; illum enim locum de essentiali et specifica unitate interpretantur ibi Chrysost., serm. 11, et Hieronym. qui ex eo loco arguit Valentinum et alios hæreticos, qui duo vel plura baptismata posuerunt, et insinuat Tertull., lib. de Bapt., cap. 45, de quo testimonio plura in seq. sect. Præterea ostendi potest conclusio, tum ex doctrina generali supra tradita de septem sacramentis novæ legis; ostendimus enim tantum esse septem species ultimas sacramentorum; tum etiam ex speciali doctrina et ratione hujus sacramenti; habet enim unam formam specificam, quæ omnino necessaria est, ut hujusmodi sacramentum conficiatur. Habet etiam eandem materiam remotam, scilicet, aquam naturalem, et proximam, scilicet, ablutionem. Illæ enim ablutionum differentie accidentales sunt, tam physice, quia omnes fiunt per motum localem, solum accidentaliter diversum; quam moraliter, seu sacramentaliter, quia omnes ordinantur ad eundem finem ablutionis. Rursus hujusmodi baptismus semper ordinatur ad eundem primarium effectum spiritualis regenerationis, et remissionis peccati originalis. Unde eandem significationem habet, et eundem characterem in specie imprimit; ergo est semper idem secundum speciem.

3. Inductione probatur conclusio. — Deinde explicatur et probatur conclusio discurrendo per alia baptismata, seu opera, quibus nomen baptismi accommodari solet. Et in primis omitto varia baptismata aquæ, quæ in lege veteri in usu fuerunt, ut dicitur ad Hebræos 9; illa enim, quamvis in exteriori ablutione similia esse potuerint nostro baptismo, tamen in ratione signi et cæremonie sacre multum ab eo differebant. Eademque ratio est de baptismo Joannis, qui etiam in ablutione externa similis fuit nostro baptismo; in ratione tamen signi sacri, et in effectu, et in sanctificatione per formam verborum valde dissimilis. De qua re fuse disputatum est tomo præcedenti; et ideo plura hoc loco dicenda non sunt. Ac propterea in conclusione locutus sum de baptismo, qui est sacramentum novæ legis, ut cætera omnia baptismata aquæ excludat.

4. *Martyrium interdum baptismus dicitur, sed metaphoricè.* — Rursus solet martyrium baptismus sanguinis appellari. Quæ locutio habet fundamentum in Scriptura sacra; nam Christus Dominus passionem suam, quæ martyrium quoddam fuit, baptismum interdum appellavit, Marci 10: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari;* et Luc. 12: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Hæc vero appellatio metaphorica est, quia constat martyrium non esse baptismum aquæ, qui est proprie baptismus, de quo nunc loquimur. Præterea constat, martyrium non esse sacramentum, cum non sit cæremonia sacra ad Dei cultum per se ordinata et instituta, quod est de ratione sacramenti; neque etiam sit signum sacrum speciali institutione ad significandum impositum; sub quo genere signi sacramentum constituitur, ut supra visum est. Appellatur ergo martyrium, sanguinis baptismus, per quamdam analogiam, quæ in primis considerari potest in omni martyrio; et in hoc consistit, quod sicut aqua baptismi tangendo corpus perfecte lavat animam, omnem culpam et pœnam remittendo, ita in martyrio sanguis effusus, suo modo tangit corpus, et inde fit, ut sanctificetur anima, et a culpa ac pœna perfecte liberetur, quamvis diverso modo; nam hoc convenit martyrio solum ex speciali privilegio; baptismo autem ex opere operato, ac sacramentaliter.

5. *Quid proprie baptismus sanguinis.* — Alio speciali modo accommodatur hæc vox non cuilibet martyrio, sed illi, quod interdum supplet defectum baptismi aquæ; est enim baptismus aquæ per se necessarius ad salutem; contingit autem aliquando aliquem ad martyrium rapi prius, quam baptizari possit, et tunc dicitur baptizari sanguine suo, quia per martyrium salvatur, etiam si baptismum aquæ non recipiat; qui modus loquendi est frequens apud Patres, ut late inferius videbimus, agentes de effectu baptismi; et interim videri possunt Cyprianus, epist. 73, ad Ju-baian.; Damascen., lib. 4 de Fide, cap. 10; Fulgent., de Fide ad Petrum, cap. 30, et Tertull., lib. de Baptism., cap. 16. In hac autem analogia, seu proportionem, præter differentias supra positas, intercedit alia, quia baptismus sanguinis nunquam habet illum propriissimum effectum baptismi, qui est character. Unde neque est propria regeneratio in Christo, nec janua ad Ecclesiam, et alia

sacramenta recipienda, et per se loquendo non excludit necessitatem baptismi aquæ, si suscipi possit. Ac denique, quamvis ex parte subjecti naturaliter iterari non possit, quia homo per martyrium extinguitur, et ideo naturaliter loquendo iterum mori non potest, tamen quantum ex parte ejus et sui effectus, non repugnaret iterari, si homo semel per martyrium mortuus, ad vitam rediret, iterumque martyrium subiret. Differunt ergo plusquam specie baptismus sanguinis et aquæ; tamen hoc non est contra unitatem sacramenti baptismi, de quo agimus, quia, ut ostensum est, baptismus sanguinis, neque est sacramentum, neque habet proprium effectum sacramenti baptismi.

6. *Baptismus flaminis, metaphoricè baptismus.* — *Quævis contritio potest dici baptismus pœnitentiæ seu lacrymarum.* — *Corollarium.* — Tandem solet etiam interior contritio cum proposito suscipiendi sacramentum baptismi, baptismus flaminis appellari; sed hæc etiam est metaphorica et analogica significatio baptismi. Unde constat, hujusmodi motum cordis non esse sacramentum, quia nullum sensibile signum includit, aut requirit, nec proprium aliquem effectum habet ex opere operato, sed solum ex dispositione operantis, cum divino auxilio, secum affert gratiam sanctificantem et remissionem peccati; non autem characterem, qui est proprius effectus sacramenti in re ipsa suscepti. Unde fit, ut hujusmodi baptismus flaminis iterum atque iterum haberi possit, quia post unam contritionem potest optime haberi alia, et ut post illum non solum possit, sed etiam debeat recipi baptismus aquæ, si facultas illum suscipiendi concedatur, vel etiam baptismus sanguinis, si ita occasio tulerit; est ergo metaphorica et analogica hæc appellatio baptismi, quæ fundatur in supra dicta proportione; baptismus enim proprie est remedium per se necessarium ex institutione Christi ad delendum originale peccatum; quia vero non semper in re ipsa applicari potest; et per interim contritionem cum proposito seu desiderio illius interdum suppletur virtus ejus; quoad hunc effectum, ideo talis contritio, includens hoc propositum baptismi, et supplens vicem ejus, appellari solet baptismus flaminis, seu baptismus in voto. Quo fit, ut quamvis latiori quadam significatione, quælibet contritio appellari solet baptismus pœnitentiæ, seu lacrymarum, ut constat ex Damasceno, lib. 4 de Fide, cap. 10, et Nazianz., orat. 39,

versus finem, speciali tamen modo illa contritio, quæ antecedit realem baptismi susceptionem et includit votum ejus, eaque ratione delet originale peccatum, hanc baptismi flaminis appellationem suscipit; sicut de martyrio supra dicebamus, illud specialiter vocari baptismum sanguinis, quod baptismum aquæ antecedit, et vicem ejus supplet. Ex quo etiam obiter intelligitur, quod licet post susceptum baptismum aquæ possit aliquis martyrium subire, vel contritionem de peccatis habere, proprie tamen jam non est capax baptismi sanguinis, aut flaminis, quia jam non est capax contritionis, ut includit votum baptismi, neque etiam martyrio indiget, ut suppleat baptismi vicem; hæc igitur variæ baptismi nuncupationes nihil obstant specificæ unitati sacramenti baptismi. Atque ex his satisfactum est rationibus dubitandi, in principio positis.

SECTIO II.

Utrum sacramentum baptismi unum tantum numero recipi possit in eodem supposito, ita ut iterari non possit.

4. Declarata specifica unitate, dicendum est de numero; supponimus autem id, quod per se manifestum est, in diversis subjectis seu hominibus baptismata multiplicari secundum numerum, et in unoquoque habere suam numericam unitatem, quia in diversis hominibus necesse est diversas fieri ablutiones. Neque curiose inquirere oportet, quomodo sint diversa baptismata, si contingat plures hac una forma baptizari, *Ego vos baptizo.* Facile enim responderi potest, vel sufficere distinctionem materiæ, vel quod probabilius est, formam illam, quamvis in materiali sono una videatur, tamen significatione et sensu esse plures, nam æquivalet his, *Ego baptizo te, et baptizo te,* etc. Rursus disputare non oportet, quomodo baptismus in uno subjecto sit unus numero, cum ex multis rebus constet, ablutione scilicet, et verbis, quæ inter se non habent realem unionem; jam enim superius, tractando de sacramentis in genere, dictum est unitatem sacramenti esse similem unitati rerum artificialium, quæ semper constant ex pluribus partibus, quæ inter se non semper uniuntur reali unionem, sed solum ordine quodam, vel alia morali, seu artificiali conjunctione. Sit ergo certum, in uno et eodem subjecto habere baptismum unitatem nume-

ricam sacramentalem, et in subjectis diversis posse secundum numerum multiplicari.

2. *Status quæstionis proponitur.* — Quæstio igitur superest, an in eodem subjecto possint recipi plura baptismata numero distincta; quæ in duplici sensu tractari potest. Prior est, an simul et in eodem instanti possit aliquis recipere duo sacramenta baptismi; et de hoc non agimus in præsentem, tum quia inferius habebit commodiorem locum in materia de ministro, tractando quæstionem illam, an possit aliquis a duobus baptizari; tum etiam quia illa multiplicatio baptismatum, si possibilis est, parum ad rem Theologicam refert; est enim valde materialis; nam in effectu et in formali significatione ex parte rei significatæ illa baptismata unum sunt et per modum unius conferuntur. Posterior ergo sensus est, an successive possint in eodem subjecto baptismata multiplicari, quod est quærere, an baptismus semel susceptus possit iterari, aut iterum dari.

3. *Varii errores.* — In qua re fuit antiqua hæresis affirmans, posse hominem ter baptizari. Ita refert Epiph., hæres. 42; nullum tamen affert illius fundamentum; neque ego illud invenire potui. Solet etiam hic error tribui Donatistis; sed hi, quamvis errarent in eo, quod baptismum Ecclesiæ non admitterent tanquam verum et ratum, et ideo re ipsa baptizarent iterum eos, qui rite erant baptizati, tamen formaliter non docuerunt, posse iterum baptizari eum, qui semel est rite baptizatus, ut sumitur ex Augustino, lib. 2 contra litter. Petilian., cap. 25.

4. *Conclusio probatur primo ex Scriptura.* — Quocirca dicendum est, unum hominem semel tantum baptizari posse, atque ita sacramentum baptismi non esse iterabile, neque posse esse, nisi unum numero in eodem subjecto. Conclusio est certa de fide, quæ primo a D. Thoma hic probatur ex illo Pauli ad Ephes. 4: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quod testimonium eludi posset juxta expositionem supra datam de unitate specifica baptismi, quæ videtur satis consentanea intentioni Pauli; intendit enim ibi persuadere concordiam, pacem et charitatem inter Ecclesiæ membra, ex eo quod omnia eandem gratiam sint consecuta, et uno baptismo regenerentur, quod necesse est intelligi de specifica unitate; sicut quod ibidem dicitur, omnium esse unam fidem, necesse est intelligi de unitate specifica, ut significavit Augustinus, lib. 43 de Trinit., cap. 2, quia

neque in omnibus fidelibus, neque in uno et eodem, necesse est fidem esse unam numero; potest enim semel per hæresim amitti et iterum comparari; et tunc non idem numero fidei habitus recuperatur, sed diversus. Sed quamvis hæc expositio maxime litteralis videatur, nihilominus alia rejicienda non est, quam Anselm. ibi, et D. Thom., sequuntur, et alii Patres, qui ea hoc loco utuntur ad veritatem propositam confirmandam. Leo P., epist. 37, ad Leonem, episc. Ravennat., c. 4: *Scimus, inquit, inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quæ unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptisate sacramentum.* Similia habet, epist. 89, ad Nicet., cap. 7: *Hanc regulam servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et eandem expositionem sequitur Ambrosius, lib. 2 de Pœnit., cap. 2, ubi eandem veritatem confirmat ex alio Pauli testimonio, ad Hebræos dicentis: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cælesti, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Nam in his verbis aperte loquitur Apostolus ad eos, qui baptizati sunt, et post baptismum peccaverunt, quos illuminatos vocat. Nam quia per fidem divinitus illuminamur, et baptismus est sacramentum fidei ac solemnisi fidei professio, ideo et ipse baptismus, illuminatio, et baptizati, illuminati, vocari solent. Et hoc modo loqui solent præcipue Patres Græci, ut videre licet apud Clementem Alexandrinum, lib. 4 Pædag., cap. 6; et Nazianz., orat. 40; Chrysost., hom. ad Neophyt.; et Cyril. Hieros., in Cateches. illuminatorum. Non intendit autem Paulus (ut quidam hæretici existimarunt, et cum eis Tertull., lib. de Pudicit., cap. 20), non posse hos illuminatos, a statu gratiæ lapsos, ad eum per pœnitentiam restitui. Hoc enim (ut recte notat Ambr.) contrarium esset eidem Paulo, 1 ad Cor. 5 docenti, etiam fidelibus et baptizatis peccata per pœnitentiam condonari. Solum igitur docet, hujusmodi hominem lapsum non posse iterum renovari, utique per baptismum. *Per lavacrum enim inquit Ambrosius) renovamur, per quod re-*

nascimur, sicut ipse Paulus dicit (ad Rom. scilicet 6): *Consepulti enim sumus cum illo (scilicet Christo) per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Quod inferius etiam confirmat ex illis verbis: *Iterum crucifigentes. Nam in eo, inquit, qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei, quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. Denique scriptum est ad Rom. 6: Qui-cumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus; et infra: Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, ita et resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est cruci.* Et ad Coloss. 2: *Consepulti ei in baptismo, in quo et consurrexistis; ergo quod ait ad Hebræos: Ac rursus crucifigentes Filium Dei, eo spectat, ut de baptismo dictum credamus.* Itaque qui post primum baptismum, alterum suscipere tentat, dicitur iterum Christum crucifigere, quia representatione, et professione ipsa, vel profitetur Christum bis mortuum, vel significat primam Christi mortem non sibi sufficere ad salutem et alia indigere; et hanc hujus loci expositionem habet etiam August., lib. de Ver. et fals. Pœnit., cap. 3; Epiph., hæres. 59, in princ.; Chrysostom., hom. 9, in ad Hebr.; Theodor. et Theophyl. ad Hebr. 6; Philast., hæres. 89; qui in eodem sensu explicant aliud testimonium Pauli ad Hebr. 40, quod ex professo tractabimus infra de sacrificio disputantes.

4. *Secundo probatur conclusio ex Conciliis. — Tertio ex Patrum traditione.* — Secundo principaliter probatur conclusio ex Ecclesiæ definitione. Hoc enim sensu dictum est in symbolo Apostolorum: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, unde ex eorumdem Apostolorum doctrina dixit Clemens Rom., lib. 6 Const., c. 15: Uno baptismo sumus contenti, qui in Domini mortem traditur; et infra de his, qui baptismum iterare audent, dicit: Crucifigunt Dominum, derident divina.* Præterea idem definitur in Concil. Viennens., prout habetur in cap. unic., § ult., de Sum. Tripit., lib. 6, et in Concil. Florent. in Decreto Eugenii, et in Trident., sess. 7, c. 9 de Sacram. in genere, et c. 11 de Baptismo; et eodem sensu Concil. Carthag. 1, can. 1, prohibentur rebaptizationes, et regulæ fidei contrariæ dicuntur. Atque eadem est veterum Patrum traditio, ut videre licet, præter citatos, apud Cypr., ep.

64, ad Cæciliam, et serm. de Ablutione pedum: *Quem sui reverentia non patitur iterari.* Basilii, lib. de Spiritu Sancto, c. 15: *Non (inquit) Judæorum more in quibuslibet iniquitatis abluimur, sed unum novimus salutariter baptismum, quandoquidem una est pro mundo mors, et una ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptisma.* Idem docet Tertull., lib. de Baptismo, c. 15; Optatus, l. 5 cont. Parm.; Damasc., lib. 4, cap. 40; August., tract. 5, 41 et 45 in Joan., ep. 203 et 204, et frequentissime in l. cont. Donatistas.

5. *Ultimo rationibus. — Congruentiæ cur oportuerit baptismum non iterabilem a Christo institui.* — Ultimo afferre possumus rationes, quarum prima sumenda est ex Christi institutione; ab illa enim originem trahit, quod baptismus iterari non possit. Unde, vel corrigenda, vel pie exponenda sunt verba Hugonis, lib. 2 de Sacram., p. 6, c. 13, dicentis: *Valde rationabili definitione a sanctis Patribus institutum est, ut qui semel baptismi sacramentum percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iterato accipiat.* Nam quod ait, *institutum est*, perinde dictum videtur, ac si diceretur, traditum, declaratum, ac definitum est. Alioquin enim certum est, propriam hujus rei causam in Christi Domini voluntate et institutione esse positam. Nam quæ sunt de necessitate sacramentorum, cum in sola rei natura non habeant fundamentum, ex voluntate instituentis orta sunt. Etenim, quod ablutio facta sub debita forma verborum, si fiat circa hominem baptizatum, non sit sacramentum, nec signum rei sacræ, neque ex ipsa rei natura oriri potuit, neque ex sola Ecclesiæ institutione. Nam, si ex vi institutionis Christi illud esset subjectum capax talis sacramenti, cum alioqui materia et forma de se sufficientes sint, non posset Ecclesia impedire, quominus tale sacramentum conficeretur; ergo dicendum est, hominem semel baptizatum, divino jure esse subjectum incapax alterius baptismi, atque hoc modo ex divino jure esse, ut hoc sacramentum iterari non possit; hæc autem institutio ex prædictis testimoniis et definitionibus sufficienter nobis constat. Rationes vero seu congruentiæ hujus institutionis optimæ sunt, quas D. Thomas ibi adduxit, art. 1; potissimæ vero sunt, quæ sumuntur ex fine hujus sacramenti; ordinatur enim hoc sacramentum primo ad remissionem originalis peccati; hoc autem peccatum unicum est et iterari non potest; et ideo

remedium illius semel tantum applicari oportet, sicut in circumcissione fiebat.

6. *Objectio. — Respondetur.* — Dices, fieri posse, ut baptismus semel datus non efficiat prædictum effectum; ergo hæc saltem de causa oporteret eum posse iterari. Respondetur, per se, et quantum est ex parte sacramenti, nunquam posse carere suo effectu; in institutione autem sacramenti attendenda sunt ea, quæ sunt per se, non quæ per accidens ex defectu subjecti. Ac deinde etiam in eo casu, quando baptismus impeditur, ne suum effectum habeat propter dispositionem suscipientis, recedente fictione et impedimento ablato potest postea habere suum effectum, ut infra dicemus; propter hanc ergo causam non fuit necessarium hoc sacramentum iterari.

7. *Alia objectio. — Respondetur. — Alia congruentia in qua characteris ratio redditur.* — Dices: quamvis originale peccatum iterari non possit, tamen post illud remissum possunt alia committi, quibus baptismi effectus destruat et amittatur; ergo ut ille effectus possit reparari, oportuit baptismum iterari. Respondetur negando consequentiam; ad summum enim concludit, necessarium seu conveniens fuisse, institui aliquod sacramentum, quo peccata post baptismum commissa deleantur; non vero illud esse baptismum, quia alius modus remissionis et facilior venia concedi debet homini contrahenti originale peccatum, aut etiam peccanti ante susceptum baptismum, quam ei, qui postquam per baptismum illuminatus est, a suscepta gratia cadit, ut latius in materia de pœnitentia dicturi sumus. Secundo, cum prædicto fine baptismi conjuncti sunt alii, nimirum, quod per illum regeneramur in Christo; unde sicut generatio ex Adam unica tantum est, ita regeneratio in Christo unica tantum esse debet. Item, quod baptismus institutus est, ut per illum Christo consignemur, et efficiamur membra ejus, et Ecclesiæ ejus; et ideo per illum imprimitur character, qui est effectus omnino inseparabilis a baptismo atque omnino indelebilis, postquam semel impressus est, ut supra quæst. 63, latius dictum est, et ideo sicut characteres ejusdem rationis multiplicari non possunt in eodem subjecto, ita neque baptismata iterari.

8. *Dubitatio. — Respondetur. — Ratio Leonis P.* — Sed quæres obiter, quid agendum sit, quando dubium est, an baptismus fuerit datus vel an fuerit validus. Responde-